



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Enixè pro Religione desudat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

natores primarios, quem Ingolstadij antea
 quotannis habuerant ipsi discipulum. Ad im-
 pensas Rex suppeditauit. Canonici etiam sum-
 ma beneuolentia sacellum eis pulcherrimum,
Concionatur, ptineq; instructum, vbi diuina facerent, assigna-
 runt. Statimq; voluere Canisium prodire in pub-
 licam suggesti lucem, coactisq; ad Colloquium
 doctis, atq; principibus viris pariterq; V Vorm-
 tiensi Ciuitati præbere gustum, ac specimen ca-
 lestium mercium, quarum sacrum illud pectus
 plenum erat. Aduersariorum potentissimus,
 famosissimus quisq; conuenerat Philippus Me-
 lanchthon, Erasmus Schneppius, Ioannes Pisto-
 rius, Erasmus Sarcerius, Henricus Bullingerus,
 Brentius, Flaccus Illyricus, aliaque huiusmodi
 monstra. Conuenticula agebant frequentia, con-
 iurabāt acerrimè, suorum Principum armaban-
 tur edictis. Certum erat qua vi, qua dolo abire vi-
 ctos. Collocutorum in Ordine Canisius quartus
 tum, inter adiunctos Gaudanus tertium locum
 habebant. Qui cum animaduernerent inde ad-
 uersariorum conatus, & vigilantiam, hinc Ca-
 tholicorum quorundam ignauiam, valde time-
 bant ne congressus hic, quod in aliis eiusdem ge-
 neris

*Enise pro
 Religione
 desudat.*

neris euenerat, in sedis Apostolicæ iniuriam cederet: itaq; diligenter laborarunt, vt Collegarum animos sibi adiungerent: quod Deo propitio sic effecere, vt Iodocus de Rauestein Tiletanus, Martinus, ac Franciscus Sonnius, Louanienses Doctores, & Fridericus Staphilus, quos ipsimet accersendos curauerat, & ipse Collocutorum princeps Merspurgenfis Episcopus, secum omnia communicarent, Canisio, quæ vna consultabant, negotio perscribendi dato. Designatus fuerat è Catholicis Ioânes Gropperus vir egregiæ sanctimonix, atq; doctrinæ, quem dein Pontifex reuentem in Cardinalium adlegit Collegium: quanti-que referret hoc etiam commilitone partem religionis stabiliri Canisius intelligens, priuato quoque officio cum literis misso nuntio obtestatus erat, vt accederet. Sed is, laborari frustra denuntians: ad suaque mendacia affixis Hæreticis, iniri concordiam sine veritatis iniuria non posse, casum laborem subire noluit. Principum nullus coram, sed vicarij, & legati conuenerant. Ac nomine Ferdinandi Regis præerat Iulius Pflugius Episcopus Namburgensis, cui hinc atque hinc Catholici, hæreticiq; in Consilio, quos vocabant as-

fessores, aderant. Sed Hæretici per vim, ac potestatem tyrannice omnia administrabant.

*Colloquium
inchoatur.*

Prædie Idus Septembris conuentum primum est, deq; forma ineundi Colloquij cœptum est susceptari. Nisi enim certū quid statuatur, in qua pars vtraq; consentiat, sitq; instar normæ, ac regulæ, ad quam res controuersæ reuocentur, incassum colloquutionem de partibus conciliandis institui. Id Euangelici, hoc est hostes Euangelij, non negabant, sed contendebant ex verbo Dei duntaxat puro, ac puro vt aiunt, agendum. Catholicis vero hæc postulabant, primum vt integer diuina scripturæ canon reciperetur, sicut ante mille annos ab Ecclesia receptus, & approbatus est. Deinde, vbi de vero sacra scripturæ, verbiq; Dei sensu controuersia esset, ea ex Patrum, & veteris Ecclesiæ consensu diiudicaretur. Postremò, quoniam Colloquium non nisi duas inter partes futurum erat, Catholicos inter, ac Protestantés, Sectas alias à Confessione Augustana secernerent, damnarecque. Hic vero apparuit, vt ait Canisius, Gigantes illos extruere Babylonem. Immisit in eos Deus spiritum confusionis, vt inter se digladiarentur, & Philippus Melanchthon, consentanea iis poena,

Heretici inter se dissident.